

**XXIX**

AD ICCIVM

*Strophe Alcaica*

Iccī, beātīs nunc Arabum invidēs  
Gazīs ; et ācrem mīlitiam parās  
Nōn ante dēvictīs Sabaeae  
Rēgibus, horribilīque Mēdō

Nectis catēnās. Quae tibi virginum,  
Spōnsō necātō, barbara serviet ?  
Puer quis ex aulā capillīs  
Ad cyathum statuētur ūctīs,

Doctus sagittās tendere Sēricās  
Arcū paternō ? Quis neget arduīs  
Prōnōs relābī posse rīvōs  
Montibus, et Tiberim revertī,

Cum tū coemptōs undique nōbilēs  
Librōs Panaetī, Sōcraticam et domum  
Mūtāre lōricīs Hibērīs,  
Pollicitus meliōra, tendis ?